

ADJUVANTE JEHOVAH TRINUNO!  
DISSERTATIO PHILOSOPHICA,  
INDOLEM & NATURAM  
LEGUM, PRÆCIPUE CI-  
VILIUM, EXPONENS,

Quam

Ex Unanimi Consensu & adpro-  
batione Ampliss. Facult. Philos.

*In Regiâ Academiâ ABO Ensi,*

SUB DIRECTIONE

*Plur. Reverendi atq; Excellentissimi*

DN. M. ANDREÆ WANOCII,  
Phil. Pract. & Hist. Profess: Ord. cele-  
berrimi, Præceptoris & Promotoris sui æta-  
tem devenerandi,

PRO GRADU MAGISTERII PHILOSOPHICI,  
ejusq; Privilegiis legitimè consequendis,  
*Loco examinis publici, eruditorum ventilatio-  
ni modeste fistit*

ABRAHAM THURONIUS,  
Sat. Finland.

Ad diem 3 Julii Anni M. DC. LXXXV.

*In Auditorio Maximo, horis consuetis.*

Impr. apud JOH. L. WALLIUM, A. T.

*Reverendissimo & Amplissimo Domino,*  
**DN. JOHANNI GEZELIO,**  
**S. S. Theologiæ Doctori celeberrimo,**  
**Dioecesios Aboënsis Episcopo gravissimo, Re-**  
**giæ ibidem Academiæ Procancellario**  
**perMagnifico,**

**NEC NON**

*Maximè Reverendo, Admodum Reverendis,*  
*Præcellentissimisque, Dominis Professoribus, Con-*  
*sistorij Eccl. Ab. Adfessoribus Gravissimis.*

**DN. ENEVALDO SVENONIO,**  
**S. S. Theol. Doctori & Professore Primario**  
**percelebri, Ecclesiarum Aboënsis & Num-**  
**menfis Pastori gravissimo, Academiæ h. t.**  
**Rectori Magnifico.**

**DN. M. JACOBO FLACHSENIO,**  
**S. S. Theol. Professore & Ecclesiæ Marianæ**  
**Pastori Laudatissimo.**

**DN. M. ANDRÆ PETRÆO,**  
**S. S. Theol. Prof. Ord. ut & Pastori in Ad-**  
**dendahl dignissimo.**

**DN. M. PETRO LAURBECCHIO,**  
**Poëseos Professore nec non Ecclesiæ Lundo-**  
**ënsis Pastori fidelissimo.**

**DN. M. JOHANNI FLACHSENIO,**  
**Math. Prof. atq; Ecclesiæ Dei, quæ in Puitis**  
**colligitur, Pastori meritissimo.**

*Patrono, Promotoribus & Præceptoribus, sub-*  
*missè devenerandis.*



vod hanc dissertatio-  
nem Vestris nomi-  
nibus, Patrone &  
Mecœnates deve-  
nerandi, inscribere

& consecrare audeam, animum mihi  
facit, inter alias præclaras Vestras vir-  
tutes, quas tacitus & venerabundus  
prætereo, insignis ille & merè paternus  
favor, quo omnes in Musarum castris  
militantes prosequuti estis, & indies  
prosequimini; quorum commoda quam  
Vobis habeatis commendata, mea opis  
non est condigne eloqui. Accedit quoque  
quod me propius tangit, propensa be-  
nevolentia ac proluxa beneficiorum se-  
ries, non modò Parenti meo honorando,  
sed mihi etiam indigno in stadio litera-  
rum currenti sæpius declarata; In quo-  
rum recordationem exiguum hoc munus  
char-

chartaceum Ampliſſ. veſtris Nominibus  
offero, plane confidens, Vos pro ſingu-  
lari veſtra benignitate, qua omnes bo-  
nos amplecti conſueviſtis, illud benigne  
accepturos, nec tam tenuitatem muſu-  
ſculi quam animum offerentis eſtima-  
turos: non enim alia mente hoc facio,  
quã ut obſervantiam & devotionem pro-  
fitear meã, ſubmiſſe ſimul rogans ne de-  
dignemini me ut haſtenus, ita poſthac  
benigno Veſtro favore amplecti, meaq;  
ſtudia promovere. Deum Opt. Max.  
oro & obteſtor, ut Vos florentes omni  
felicitate & gloria quam diutiſſimè Ec-  
cleſiæ & Republicæ emolumento, re-  
bus humanis intereſſe patiatur!

Veſtrarum Dignitatum

Obſervantiſſimus

ABRAHAM THURONIUS

In.  
DISPUTATIONEM INAUGURALEM  
Viri Juvenis<sup>2</sup>

*Eruditi & vite ornamentis bene politis*

DN. ABRAHAMI THURONII,  
Philos. Candidati laudatissimi,  
Amici & Commilitonis perquam  
dilecti :

Ingenio qui sis, Juvenum flos, docte THURONI,  
Ingenii monstrant sat documenta tui ;  
Quæ satis ostendunt sophicis nutritus in hortis  
Quam fueris felix, Palladiisque choris.  
Hactenus Aonidum doctis excercite curis,  
Mox capies studiis præmia digna tuis.  
Suscipias voveo felici sidere, Pallas  
Quæ tibi transmittit munera Castalidum.  
Cincte comas lauro, quæ te sapientia donat  
Procedas, ornet circulus & digitum  
Aureus, hæcæ solent insignia ferre Magistræ,  
Intus quos decorat conscia mens studii.

*manu licet febricitante affectu tamen  
benevolo scribebat*

JACOB. FLACHSENIUS,  
S. S. Th. Prof.

Doctissime DN. CANDIDATE  
Amice singularis.

Constat utique ex temporum historiis, Imperiorum atq; Rerumpublicarum salutem prorsus fundari super *Religionem & Justitiam*. Utriusque Auctor & Præses est Deus, qui ex mera gratia homini altissima dedit privilegia, ut & religionis sacra in divinis literis haberet expressa, & justitiam illustraret sol *Legis*. Hujus iterum originem esse *supremam* quandam & æternam *mentem* nec Plato ignoravit; Ex cujus nectare influunt in pectora omnium hominum inconcussæ veritatis principia, quæ *Legem naturæ* adpellamus. Illa verò singularibus rerum qualitatibus excellenti modo applicata, *gentium jura & civilia* fundant. Hæ rursus cum ordinatæ sint in boni publici tutelam, in conservationem omnis honesti ordinis; in salutem ornamentum & gaudia tot mortalium; inde adparet, grande saxum  
vol-

olvere Illustria illa ingenia, quæ Leges  
interpretantur, quæ jus civibus & justitiam  
populo dicunt. Divinus profecto labor  
solis instar lustrare universa, iniquita-  
tem improborum pellere, audaciam  
coercere malignantium, occurrere  
solitudini desertorum, dare afflictis  
opem, lucem ambiguis, ornatum &  
harmoniam singulis. Magnopere  
ergo Tuas curas commendamus, quod  
in maximè arduo argumento ingeni-  
um Tuum volueris exercere; Faxit  
Deus immortalis ut in posterum æquè  
ac hæctenus apud nos floreat laudabile  
Thuroniorum nomen. Vale

a T.

DANIELE ACHRELIO.

VIRO

VIRO JUVENI

*Virtutibus pariter ac literis conspicuo,*

**DN. ABRAHAM THURONIO,**  
Optimi Parentis optimo Filio, sanioris  
Philosophiæ Candidato dignissimo, Pa-  
triotæ, amico, & inde a pueritia com-  
militi conjunctissimo, præcepſ qvi-  
dem sed amicum

τετραστιχον :

**I***Nde data leges, ne fortior omnia possit,*  
Protulit ore, frequens cujus in *Arte*  
Thais.

Tu tamen e cathedra monstras cala-  
moq; THURONI,  
Quem Charis, & pleno numine Phœbus  
amat,

*Publica res sine lege quid est? sine pectore*  
*corpus?*

*Illæ anima est urbis, corporis hoc anima.*

Quo de studiorum Ejus successu  
ex animo gratulatur

AND. WANOCCHIUS.






**L**egum munus ut origine  
vetustum, ita utilitate  
commendatissimum: ut  
enim homines diffundi,  
certisque domiciliis & imperiis distin-  
gvi caperunt, Leges conditas esse con-  
sentaneum est; unde Plato lib. 3. de leg.  
Ut homines absque societate mu-  
tua vivere non possunt, ita neque  
societas ulla salva & diuturna esse  
potest sine legibus. Hæ enim mi-  
rifice suum in faciendorum præceptione  
& vitandorum prohibitione exerunt  
imperium, harum virtute & ope o-  
mnis nocendi refrænatur libido, tutaq;  
manet ubique innocentia, cum alias si-  
lente Legum sobole Justitia, ne illi qui

dem qui scelere & maleficiis delectan-  
tur vivere possint. Cum igitur mihi,  
Divina sic disponente gratia, ex volun-  
tate Venerandæ & Amplissimæ Facul-  
tatis Philosophicæ, studiorum ratio im-  
peret, ut specimen aliquod meorum in  
literis profectuum, publicæ luci dem,  
candidaque bonorum censura submit-  
tam, hoc argumentum propter insi-  
gnem ipsius excellentiam hac vice con-  
siderandum elegi. Non quidem quod  
omnes in eo difficultates emetiri pos-  
sem, cum multa sint, quæ me in hac  
doctrina prætereunt; sed ut saltem na-  
turam Legum quodammodo delineando,  
ingenium meum in materia hac nobi-  
lissima exercerem. Nullus ergo du-  
bito quin audax hoc inceptum a bonis  
bene explicetur. Sic itaque

THE



THESIS I.

**T**empus illud, in quo mortalium vetustissimi omni absente perverta libidine, sine probro, scelere atq; pænarum formidine vitam suam transegerunt, ut loquitur Tacit lib. 3. *Annal.* felicissimum fuisse quivis facile deprehendet: honesta enim suo pte, *inquit ille,* ingenio expectebantur; sed postquam probitas & justitia cæteraque virtutes exulare, cum fas & nefas pari ambulare passu cæperunt, quævis illicita irrepsit flagitia, introducta est licentia quodlibet audendi, ad cujuslibet vanissimæ mētis stolidū præscriptum, incessit ambitio, sæ-

da ingeniorum & societatum pe-  
stis, pervenere dominationes in  
terga parentium sævientes; Quæ  
mala, ne latius se dilatarent, nec  
boni impiorum & sceleratorum  
vi atq; imperu à virtutum exerci-  
tio absterrentur, in ipso limine  
opprimenda homines prudentif-  
simi sapienter admodum senserūt,  
*atq; sic maturo consilio ad instituenda  
judicia, ad faciendas leges conspirarunt,*  
*asserente id Hug. Grotio in proleg. de*  
*Jur. Bell. & Pac.* Nam cum sine  
virtutibus politicis Rerum publ so-  
cietates consistere non possint, &  
pauci sint qui recte vivant & offi-  
cia virtutum spontè ultroq; præ-  
stent, Legibus, quibus nihil aptius  
*esse multitudini in unius populi corpus*  
*coalescentis, præclare testatur Ro-*  
*manarum rerum scriptor clariss.*

Livi-

Livius *libr. 2. Hist.* illa officia virtutum comprehensa sunt, ut ad ea ex necessitate præstanda Cives obstringantur; His enim langvescentibus nihil honestum & bonum occurreret, sed tota Respubl. inopinato ad interitum vergeret. Hinc Seneca *libr. 1. de Clement.* Legem deprædicans, dicit esse vinculum quo Respubl. cohæret, & spiritum vitalem, quem trahit civitas, ita ut sine lege Respubl. nihil sit futura nisi onus & præda. Verum de necessitate Legum anxie multis hic inquirere ere esse non existimo, cum in aprico sit nullam civitatem sine his constare posse, Cic. in *Orat. in legibus enim salus consistit civitatis*, ut habet Arist. *1. Rhet. 4.* addere tamen placet iudicium & testimonium Justiniani Imperatoris

qui Majestatem Imperatoriam armis & legibus, condecoratam esse ait, quo bellorum & pacis tempora recte gubernentur; ut enim armis maximam orbis terrarum partem suæ ditioni subjecerunt Romani, ita legibus, illam armorum gloria partam, in sua potestate retinuerunt.

THESES II.

Cum ratio methodi constanter exigat, ut in rerum declaratione & enodatione a generalibus ad specialiora procedatur, ita nunc Naturam legum expositurus non incommode in Etymologiam, si-ve primam vocis impositionem inquirere, deinde ipsius Descriptionem apponere consultum duxi. Dicitur vero Lex secundum quosdam a *deligendo*, quod eligat quod opti-

optimum est, aliis a *ligando*, quod  
subjectos liget, vel denique a *legen-*  
*do*, quod publice legatur, unde &  
jus svecanum Cap. 25. *Kong, Bolk.*  
§ §. Legem Civitatis semel quot-  
annis publicè olim recitandam fu-  
isse pronunciat. Hebræis תורה a  
Radice ררה docuit, quod nos de  
nostro officio erga Deum & proxi-  
mum nostrum doceat & erudiat.  
Græcis νόμος appellatur, ab æqua-  
li justæ distributione: Sveci conve-  
nienter a laga Lagh deducunt,  
quod omnia eleganti quâdam for-  
ma in certum ordinem disponat.  
Vocis æquipollentia seu synony-  
ma si attendatur, æquivalere quo-  
dammodo deprehendo has vo-  
ces, *Præscriptum, Mandatum, decre-*  
*tum, jus & Ordinantia*, quibus passim  
periti indifferenter utuntur.

**H**is suppositis proximum est de  
 Definitione Legis sollicitum es-  
 se, cujus quidem descriptiones a-  
 pud auctores variæ inveniuntur,  
 quas omnes hic jam enumerare  
 vel examinare non est animus, sed  
 mihi eas sicco prætereundi pede,  
 Definitionem à Clariss. Hornejo  
 Ethic. Lib. IV. Capit. 3. num. 13. da-  
 tam adponere lubet. *Lex est de-  
 cretum sive Dei, sive ejus penes quem  
 Majestas est in Republica, vel natura  
 ipsi impressum, vel sufficienter alias  
 sancitum & constitutum, juxta quod  
 vivatur, ita ut vel simpliciter expedit  
 & pium ac honestum est, vel expedit  
 huic saltem aut illi reipublicæ. Vel  
 prout habet Nobiliss. Gyllenstolpe  
 in sua politic. Disp. XII. Lex est de-  
 cretum naturæ vel Magistratus ad vi-  
 tam feliciter degendam.*



THESIS IV.

EX diversitate Cause efficientis  
 oritur Legis divisio qua in Di-  
 vinam & Humanam dispescitur;  
 Illa vel ab ipso Deo naturæ huma-  
 næ insculpta est, quæ semper o-  
 mnes creaturas rationales ad obe-  
 dientiam obligat, turpia vetans &  
 honesta mandans, diciturque *Lex*  
*Natura*, vel peculiaripatefactione  
 divulgata, quæ in *Moralem*, *Foren-*  
*sem* & *Ceremonialem* iterum subdi-  
 viditur, de quibus agere hujus  
 non est instituti, sed solum nobis  
 quæstio futura de *Legibus*, quas Prin-  
 ceptus auctoritate publica ob civium salu-  
 tem tulit ex recta ratione, & à Hor-  
 nejo dicuntur, *Decretum*, factum  
 & promulgatum ab eo qui public-  
 am auctoritatem in Civitate habet,  
 prescribens quodpiam à subdi-

*vis servandum, quod ad Reipubl.  
tranquillitatem & utilitatem face-  
re probabiliter putatur.*

*THESIS V.*

**E**T licet illa vis & potentia na-  
turæ nostræ a Deo indita & im-  
pressa ita evidens sit, ut videatur  
boni vel mali discretioni sufficere,  
tamen in Virtutum studio com-  
munisque utilitatis causa opus quo-  
quæ est lege civili & positiva, quæ cla-  
re publicis præceptis common-  
strat quædam in lege Naturali non  
expressa, simulque præmiis propo-  
sitis in Generosis mentibus hone-  
stum ad virtutem colendam ac-  
cendit ardorem, Improbos vero  
pænarum & suppliciorum irroga-  
tione à scelere & vitiis absterret.  
Nihil vero exinde integritati legis  
naturæ decedit, cum hæc univer-  
salis

salis sit ac singulares casus non consideret, qui respectu variarum circumstantiarum diversimode inter se distant, indeque certis quibusdam positionibus & regulis operationis ex comūni illo principio deductis circumscribi necessum habent, quæ omnes ad naturæ dictamen tanquam primam radicem aptari & reduci debent. Si autem quilibet tanta naturæ bonitate essent, ut quicquid justum, rectumq; scirent, totis viribus intenderent, atq; cupiditates pravas serio impedirent, nullis sane legibus indigerent mortales, sed hoc optandum, non sperandum; cum verum sit illud.

*Nititur in vetitum semper, cupimus-  
que negata.*

THE

Ceterum cum Rempublicam  
 per se non consistere constet,  
 nisi ab aliquo administretur, acris  
 inter Politicos est controversia, u-  
 trum tutius & melius secundum legem  
 quam Magistratus arbitriū gubernetur,  
 quæ lis ut dirimatur, rectissime of-  
 ferit Clemenſ Timplexus Lib. 4. Pol. C.  
 4. qv. 2. nec Legem sine Magistra-  
 tu, nec Magistratum sine Lege in  
 Republ. consistere posse, sed uti-  
 lem imo necessariam esse utriusq;  
 conjunctionem, diversoq; respec-  
 tu legem Magistratui, Magistra-  
 tum Legi præesse debere; periculi  
 enim plena res est soli unius arbi-  
 trio absq; legibus totius Reipubli-  
 cæ salutem permittere, cum inge-  
 nia humana vix absoluto intelle-  
 ctu & voluntate sint prædita, ut  
 legi.

legibus nullis egeant, & omnia publicum bonum spectantia perfecte cognoscant, cognitaq; semper ac ubiq; agant. Multi quoq; licet prius bene instituti cum ad clavum Reipub. venerunt, mox aliam formam nanciscentes in contrariam ac pessimam naturam degenerarunt, qui in Historicorum scriptis passim notantur.

*T H E S I S VII.*

**O**lim inter ordines Regni & Magistratum constituendum certæ quædam regulæ constitutæ, quæ ex communi quodam placito tanquam basis omnium essent, ad quarum observationem mutuo se juramento obligarunt, quæ *Lex fundamentalis* vel *Capitulatio* dicitur, quasi hoc fundamento totius Reipublicæ niteretur salus: Quæ in variis

variis Regnis varia est. Leges  
fundamentales Imperii Germani-  
ci extant in Aurea bulla Caroli  
IV. Imperatoris & constitutioni-  
bus Imperii, ex quibus & illa est,  
ut Cæsar non nisi Germanus ab  
Electoibus Germanis eligatur.  
*Sleid. Lib. 1. Hist.* Talis quondam  
fuit capitulatio in nostra Patria  
quæ extat descripta in Jure Sveca-  
no Kong. Ball. 22. cap. 3. quæ  
jam omnium consensu abrogata  
est, ac in ejus locum unio Hære-  
ditaria constituta & varia decre-  
ta Ordinum hanc unionem con-  
cernentia.

THESIS VIII.

**L**Egis condendæ auctoritatem  
neminem præter eum, qui (ce-  
ptris Reipub. admotus, summa  
in ea gaudet potestate, habere  
cer

certum est. Cum enim Leges omnium civium respiciant salutem ac utilitatem, utiq; ille cui præcipua boni publici incumbit cura, jure meritoq; illarum auctor dicendus; Quemadmodum Ducis & Imperatoris in bello est exercitum in certas stationes disponere ac collocare, sic domi in Republica summi Magistratus est leges atq; statuta subditis dare, quibus auctoritatem maximam conciliat Pietate & vitæ integritate; nihil namq; boni efficiunt, qui cultum Divinum susque deq; habent, & fieri nequit, ut se Magistratus ipse officium non faciat, ad præclara & honesta alios excitet, inquit Xenoph. Imo Magistratus non tantum a crimine sed etiam ab omni criminis suspitione immunis sit, oportet; Subditorum quippe

ocu-

oculi in eum fixi & in vitam ejus  
velut in speculum intuentes, om-  
nia ejus facta notant cum qua-  
dam imitandi cupiditate, in quam  
rem egregii extant Lucani ad Ho-  
norium Imperat. Versus:

*In commune jubes si quid censesve tenendum,  
Primus jussa sibi, tunc observantior aequi  
Fit populus, nec ferre negat cum videret i-*

*psum,*

*Auctorem parere sibi: componitur orbis  
Regis ad exemplum, nec tantum flectere*

*mentes*

*Humanas edicta valent, quam vita Regentis.*

### THESIS IX.

**M**ultum quoq; oneris sui suble-  
vatum iri in legibus faciendis  
sentient Principes & Legum lato-  
res, si Viros pietate prudentia vi-  
tæq; claritate conspicuos in con-  
siliium assumant, cum unius homi-  
nis scientia cuncta assequi nequeat.

Præ-



Præterea existimo promptius obsequium legibus præstari, ubi unanimi omnium ordinum consensu summus Magistratus illas sancierit; Quod ipsum etiam Leges Svec. Cap. 4. artic. 7. R. B. LL. indigitare videntur,

THESIS X.

Deinde non minima cura erit Legumlatoribus statum cognoscere Reipubl. cui accomodandæ leges; aliæ namq; Regno, aliæ Aristocratia, aliæ Democratia congruunt. Cognito enim statu, intelligunt quid sit reformandum, corrigendum, mutandum, de novo instituendum, aut deniq; executioni mandandum. Quod de Cæsare Augusto literis prodidit Tacit. lib. 3. *Annal. eum quæ triumviratu jusserat aboluisse, & jura dedisse*  
B *quæis*

quæ pace & Principe uterentur. Non  
tamen temere absq; socraticis causis  
& matura deliberatione salubri-  
ter a majoribus institutæ leges  
mutandæ, quod recte observavit  
*Timpl. lib. 4. Pol. cap. 4. Quest. 14.*  
dum, leges veteres Reipubl. non  
esse mutandas, si eæ omnes con-  
ditiones bonarum legum habeant,  
si vero tales conditiones non ad-  
sint, exigente necessitate, utilitate  
& salute Reipublicæ mutationem  
esse suscipiendam, asserit. Per cre-  
bram enim mutationem Legum-  
latoris vilescit auctoritas ac subdi-  
ti vili pendere & contemnere  
possunt leges, quod non sint re-  
gula vera & recta faciendorum.  
Regulæ namq; proprium est, ut sit  
perpetua & constans.

THE-

THESIS XI.

ET quoniam in omnigente hæret quædam inconcussa vis, quam hominibus omnibus pro conditione terrarum, in quibus nasci contigerit fata diviserunt, ideoq; integri sæpenumero populi propter peculiare illud temperamentum certo vitio aut certæ virtuti litant, operæ pretium erit Legumlatoribus naturam populi novisse, cum varians illa nationum inclinatio diversam postulare videtur imperandi formam & rationem; ut enim medicamenta quædam uni noxia, alteri salutifera sunt, ita leges quamvis in se justæ, statui tamen & populo huic vel isti minime convenire possunt.

THE-

Cum recta ratio, quæ divinæ imaginis quasi radius quidam est, semper requiratur ad discernendum hominum facta, bona ne sint an turpia? Ita absurdæ populorum nonnullorum leges ab omni recta ratione alienæ, indignæ sunt augusto legis, strictæ sic dictæ, nomine. Siquidem omnis lex debet esse norma actionum, quæ si a recto aberrat jure meritoque nomen suum amittit. Qualis erat illa *Sybaritarum*: Nemo nostrum frugi esto; & *Lacedæmoniorum*, qua furari fas fuit pueris, modo ita furarentur, ut in furto non deprehenderentur, & *Hyrcanorum* qua concessum filiis erat, parentes senio confectos matrare, vel mortuos canibus lanianos præbere, & per plurima similia

lia absurda; quæ omnia hic recensere immensi esset laboris.

THESES XIII.

PRÆterea leges in benè ordinata Republica non præscribi debent de rebus æternis & necessariis, quæ se semper eodem modo habent, vel de naturalibus quæ sunt supranos; stolidi enim foret hominis leges ferre de Solis immobilitate aliisque rebus necessariis, unde merito risu digna est *Lex Indorum*, qua Rex Japoniæ juramento obligat se effecturum, ut justo tempore sit serenitas, nec ullæ tempestates frugibus noceant. Neque de impossibilibus, quas nullis viribus præstare aut implere valemus; idcirco recte Plut. oportet leges ponere possibiles; alias enim Tyrannus est qui cogit contra naturam, inquit Plato in

Prot. unde Solon aliquando rogatus, ecquid optimas tulisset Atheniensibus leges? optimas respondit quas illi accipere poterant. *Plutarch.* Deniq; nec leges pugnare debent cum jure naturali & Divino, cum in talibus imperatis exemplo Apostolorum Actor 5. v. 29. plus obediendum Deo quam hominibus; quod etiam probe observarunt Sveci in juramento Regi præstando, *Rong. Bald. Sand; S. Cap. 5.*

THESIS XIV.

**L**egum Civilium bonitas ex naturali quidem æquitate velut fonte suo manat, modus vero illarum ex ratiocinatione humana examinante singulas circumstantias, finemq; propter quem ferendæ, qui est civium salus & incolumitas;

ut

ut enim naturali nexu & ordine omnia membra ad perfectionem sui totius feruntur, ita partes Reipubl. five cives singulas suas actiones ad communem omnium felicitatem & beatitudinem referre laborent. Ex hoc ergo luculenter apparet iniquitas Legis Tyrannicæ privatum commodum quærentis, quæcum non sit secundum rationem, non est simpliciter Lex, sed magis perversitas quædam Legis.

THESIS XV.

Porro Leges nisi iisdem debitum præbetur obsequium, Reipubl. nequicquam sunt utiles, quippe *Lex executione carens est quasi campana aut nola sine pistillo, & veluti Magistratus mutus ac mortuus*, Ait Bod. s. de Rep. Major itaq; gloria est

Principi unius legis observatio,  
quam multarum sine exeqvutio-  
ne promulgatio, quæ cum ita sint,  
ne ignorantia earundem, delicta  
sua excusent homines, interest  
Reipubl. eas promulgari, quo ab  
omnibus cognoscantur, cum enim  
inquit Hornejus, *Lex esse regula ali-*  
*qua debeat, juxta quam vivatur, nota*  
*sit iis oportet, quibus præscribitur;* nam  
ubi nulla legis cognitio, ibi nec ali-  
qua ex voluntate prævaricatio:  
non tamen opus est, ut cuivis in  
singulari, sed solum toti commu-  
nitati proponatur lex, a qua si quis  
se sponte subduxerit, minime ex-  
cusatur, cum illa ignorantia sit af-  
fectata & provenit ex supina ne-  
gligentia.

THESES XVI.

Solent hic alii movere quæstio-  
nem, an leges etiam Principem &



*sum auctorem ad observationem obli-*  
*gent ?* In qua quaestione deciden-  
da Politici in varia sententiarum  
abeunt divortia, quidam enim ab-  
solute Principem legibus quas i-  
pse tulit solutum esse contendunt,  
dicentes neminem sibi ipsi impera-  
re posse, & voluntatem sibi servam  
facere, cum legis proprium sit mā-  
dare, prohibere, punire, quæ non  
nisi in subditos vim habent, alii ve-  
ro summum Magistratum, legibus  
civilibus a se latis, quibus neglectis  
Respublica aut honestas læditur,  
omnino obstrictum & obligatum,  
ad juris tamen solemnia subditos  
tantum attingentia eum non ad-  
stringi, asserunt. Nam in totum  
solvere Principem ab obligatione  
legis civilis, est etiam ipsum ali-  
quatenus ab observatione legis di-

vjnæ, & naturalis liberare, cum  
nulla fere esse potest lex civilis, quæ  
non aliquid habeat admistum juris  
divini & naturalis.

THE S I S XVII.

**A**D essentiam legum nihil facit  
earundem in tabulas vel literas  
relatio, cum hoc velut accidens  
quoddam iisdem jam constitutis  
superveniat. Sic *Lacedæmonii* leges  
suas non literis, sed memoriæ man-  
darunt. *Athenienses* vero omnes  
leges scripto posteris suis tradide-  
runt; melius tamen Reipubl. con-  
suli videtur, si scribantur ut a cun-  
ctis, quorum interest, cognoscan-  
tur omnesq; obligent, idque non  
obscura brevitate, nec inani qua-  
dam verborum circumlocutione,  
unde maximæ semper tricæ ortæ  
sunt, dum quis sensum legis in  
causæ suæ defensionem vertere  
laborant.

THE SIS XVIII.

Per plurima in Rempublicam se  
 ingerunt incommoda, si res du-  
 bias decifurus veram non adhibu-  
 erit Legum interpretationem. Est  
 vero illa triplex: *Authentica* quam  
 exercet ipse Legislator vel ejus vi-  
 carius, quippe cujus est sancire le-  
 ges, ejus etiam interpretari, ac vo-  
 catur lex declarativa. *Usualis*, quæ  
 longo temporis tractu usum &  
 consuetudinem observavit; vel de-  
 niq; *Doctrinalis*, quæ arte & institu-  
 tione a Juris peritis sensus eruitur.  
 In omni legum interpretatione  
 consideranda veniunt verba, quæ  
 si fuerint obscura & ambigua, signi-  
 ficatio propria accipienda ac vocū  
 attendenda constructio; sæpe ta-  
 men etiam non solum verba obser-  
 vanda, sed sensus sequendus con-  
 gruens

gruens cum mente Legislatoris, qui optime cognoscitur collatione locorum parallelorum, præcedentium ac sequentium; maxima itidem adhibenda cautio & prudentia in applicatione legis ad casus quos Princeps sive Legislator verbis adeo perspicuis non expressit, ne legislatori aliquid contra vel præter mentem ejus affingatur.

*THE S I S X I X.*

**U**Bi expressa non est Lex, ejusdem vim & auctoritatem habet *consuetudo*, quæ usus frequens & inveteratus tacita communi assensione comprobavit, nec a lege nisi quodammodo differt; Unde in regulis Judicum Regni Sveciæ punct. 14. dicitur, *Landzseed när hon icke hafver ostiäbl medh sig/bör räknas för Lagh ther effier man döma skal.* Debet igitur esse rationi conveniens, publico non refragetur bono, ac privatorum consulat commodo; omnis itaque  
non

non approbanda consuetudo, ne vetustate temporis, legis aliquid officiat nobilitati.

*THESIS XX.*

**I**n societate civili quibusdam de Re-  
publ. bene meritis, velut virtutis præ-  
mium, ex dispensatione Principis conce-  
duntur *singulares quædam*, ultra jus com-  
mune, *leges*, alias *Privilegia* dictæ, quæ  
quasi Legum ex parte sunt abrogatio-  
nes, atq; eos quibus indulta a civium æ-  
qualitate eximunt. Si autem nimia sub-  
ditis fuerint indulta, sæpe in Reipubli-  
cæ detrimentum ad versus suos principes  
sumunt vires.

Atq; hæc sunt quæ hac vice publici E-  
xaminis loco de nobili hac materia obi-  
ter dicta sufficiant. Quæ quidem merito  
latius expandi debuissent, sed ut sic co-  
rrectarentur, ratio temporis imposuit; tui  
tamen erit officii, Benevole Lector, can-  
dide hæc & sincere interpretari. Vale.  
Deo Ter Opt. Maximo, summo & altis-  
simo, nostro Regi sit laus, honor &  
gloria in omnem æterni-  
tatem!

*Juveni nataliū splendore, nec non rare erudi-  
tionis & virtutū gloria commendatissimo,*  
**DN. ABRAHAMO THURONIO,**  
Philos. Candidato dignissimo, Patriotæ & A-  
mico à teneris conjunctissimo, *de Legibus*  
publicè & eruditè differenti :

**N**uminis æterni Lex est dictamen ab alto,  
Qvi Legem primus juraq; sancta tulit,  
Officia ut facerent mortales ordine cuncti,  
Nec sua flagitiis turbida regna darent.  
Vtque Magistratus pariter sua jura recludit  
Vi superum, cujus temnere jussa cave,  
Nam Deus Altitonans illū dedit ipse patronū  
Plebeculæ ignobili, quam violare nefas ;  
Aspera & inculta hæc Legis moderamine sem-  
Usq; coërcenda est, dum sua colla jugo (per  
Subdere detrectat fremebundaq; sævit amaris  
Sæpè animis, lingvæ & prælia stulta facit.  
Qvæ mala cum fervent, sacratæ sanctio Legis  
Utu mox vigeat, justiciamq; regat.  
Qvi verò petulans latas perrumpere Lege s  
Contendit, pænas hic dabit ipse graves.  
Fusus hæc pandit tua Dissertatio docta,  
THURONI, illustris portio grata chori  
Aonidum semper, Musarum culte satelles,  
Prædite præclaris dotibus ingenii.  
Apprecor ut capias fulgentem ritè tiaram,  
Qvæ tibi pro meritis irradians veniet ;

Suscipe & egregiū nomen titulumq; Magistri,  
Quæ tibi contribuit Palladis alma cohors.  
Jam Pater ergo tuus læto te suspicit ore,  
Et, quibus est dignus, gaudia multa capit.  
Ingens nunc Fratri calcar superaddis eunti,  
Qui modo perreptat, quæ peragrata tibi.  
Eximium decus hoc! & nos applaudimus o-  
mnes

Qui tibi conjuncti lætitia fremimus.  
*Semper bonos nomenque tuum laudesque ma-  
nebunt,*  
Sic voveo ingenuè! suscipe vota piè.

ANDREAS HENRICIUS.

---

Jam vernat pratumpietum ridentibus herbis,  
Jam surgūt Viola, flores nascuntur in arvis,  
Narcissus, Cytisusq; Hyacinthus, Ruta Rosæq;  
Hyssopus Nardus Cyanus, Vaccinia, Calta,  
Dat quoque ager nobis duro renovatus aratro  
Messis, quas prodit maturis folibus æstas;  
Sic tu, mi Fratet, profers certissima signa  
Maturi Ingenii, dum Legum dogmata docte  
Demonstras, igitur reddit tî munera Pallas,  
Munera quæ meruit virtus studiumq; politum;  
Ergo bonis avibus nomen titulumq; Magistri  
Ut capias, voveo! prosit tibi gradus honoris!

Animo fraterno apposuit

JOH. THURONIUS.

**S**cilicet ut savi qui tentat praelia Martis,  
Atq; cupit proprio ferre labore decus,  
Ille sitis patitur, patitur frigusq; famemq;  
Hisce tamen victis prada petita venit:  
Sic qui difficilem pertransit Palladis aulam,  
Hoc dictum, gaudens applicat ille sibi:  
Multa tulit fecitq; puer sudavit & alit,  
Omnibus est victis prada cupita manet.  
Quid dicam? mibi testis adest **THURONIUS**  
ipse.

**ABRAMUS** studiis qui capit ecce suis  
Mercedem dignam, ceu munera palladis ampla,  
Qua sibi pro meritis larga brabeja capit.  
Me consuetudo mandat cantare triumphum,  
Carmine contentum, quod benefacta ju-  
bent;

Ausibus his merito grator nunc Fautor a-  
mande,

Comprecor & caeptis fata secunda tuis!  
Vive diu felix Sophia clarissime cultor!  
Atq; mibi solito semper amore fave.  
Ipse Deus cunctis conatibus annuat hisce!  
Ex animo dixi, vive valeq; diu!

**LAURENTIUS TAMMELINUS.**

